

porro crimina mea: vers. 11. (D) dele iniquitates meas: ibid. (E) crea in me cor mundum: vers. 12. (F) innova in me spiritum constantem: ibid. (G) Spiritum tuum Sanctum ne auferas à me: ibid. (H) salutis tue sensu me rursus letifica: v. 13. (I) sustenta me spiritu ingenio: ibid. cui petitio subjungitur promissio emendationis peccantium aliorum: vers. 15. (K) erue me à sanguinibus: vers. 16. ratio: quia tu es Deus salutis meae: ibid. (L) aperi mea labia ad novas tuas laudes: vers. 17. Ratio: quia tum tu Deus non curas victimas

A externas, vers. 18. tum solum approbas spiritum contritum: vers. 19. Atque sic contritio, fides & bonum propositum egregie invicem connectuntur.

II. Pro ecclesiâ intercessio: ubi (1) Zion & Jerusalem, delictò regis sui non parum offensæ, nec non plagis ejusdem promeritis irritæ, vers. 20. (2) petitum: partim benefac ipsi per tuam benignitatem: partim muros instaure: ibid. (3) consequens: oblationibus delectaberis o Domine: vers. 21.

PSALMUS LI.

EXPLICATIO VERSUS II.

כָּבוֹד In veniendo: h. e. post adventum Nathanis castigatorium, 2. Sam. XII. Non enim verisimile est, hæc ipsa statim verba, præsentè adhuc Nathane, fuisse sic à Davide pronunciata, verùm digressò eò has procul dubiò consignavit demum meditationes pœnitentiales. Ac proinde (כ) valet *POSTQUAM*, ut *Proverb. V, 11.* **כִּי־אָכַלְתָּ** postquam consumseris, &c.

כָּבֵד venerat: præteritum pro plusquamperfectò pag. 26. Venire autem ad faminam, phrasi Scripturæ verecundâ significat cum eadem cohabitare matrimonialiter: ut *Gen. XVI, 4.* **וַיָּבִינָהּ** ad Hagarem Abraham: item *cap. XXX, 4.* & venit Jacob ad Bilham, & peperit &c. pertinet hoc ad Sanctitatem Sacri Sermonis ostendendam, ubi res turpes aut blasphemæ verecundis efferruntur tamen verbis; veluti hoc prolixâ digressione inter cæteros declarat Pineda *ad Job. xxxi, fol. 642. seq.* ubi similes adducit phrasas: *humiliare, cognoscere, lectum adscendere, revelare turpitudinem, &c.* Davidem per tempus id impœnitentiæ fidem penitus extinxisse, & Spiritu Sanctò caruisse, contra Wendelin. latè probat Cothmann. *p. 2. prædest. p. 62. seq.*

EXPLICATIO VERSUS III.

מִסְרַתִּי miserere mei: h. e. de stricto jure remitte propter Messiam ejusque sacrificium sufficientissimum, iram pœnamque flagitio meo debitam averte, paternum verò affectum ad me indignum iterum converte, &c. Verbum **מִסְרַתִּי** gratiosus fuit, accipitur tum de affectu, cum quis alteri bene vult, condolendo ei, dum affligitur, apprecando bona, quibus indiget, &c. tum de concomitante effectu; cum quis alteri gratiosè elargitur, sine obligatione ad restitutionem, aut citra respectum ad meritum antegressum; veluti hoc ostendimus *Pfalm. XXXVII, 21.*

כַּסְדְּךָ secundum misericordiam tuam: opponitur h. l. **חַסְדְּךָ** gratis, demerito peccati, q. d. non pro ratione mei delicti, sed secundum infinitam tuam mecum age gratiam; actiones tuæ non respondeant ponderi meorum scelerum, sed tuam cunctis demonstrent clementiam. Aliàs **חַסְדְּךָ** à Theologis describitur, quod sit Dei propensio ad benefaciendum creaturis, vel qua talibus, vel qua officium facientibus.

רַב secundum multitudinem miserationum tuarum: h. e. secundum miserationes tuas multas, (prius substantivum locò adjectivi.) Multitudo autem miserationum subinfert multitudinem peccatorum, ubi insufficiens quasi videtur gratia mediocris, profunda enim malitia in-

solitam raramque postulat gratiam, sicut morbus desperatus remedia pretiosissima.

מִסְרַתִּי miserationum tuarum: nomen hoc plurale tantum (cujus singularem aliqui faciunt **מִסְרַתִּי** miseratio, ex *Hab. III, 2.*) designat amorem vel propensionem aut compassionem fervidissimam, qualis est **מִסְרַתִּי** uteri erga factum: uterus enim sedes est, (*Dilher. paraph. hujus Psalmi*) in quâ motus omnium affectuum mirificissimi sentiuntur, quomodo hoc ipsum vidimus *Pfalm. XXV, 6. XL, 2. Confer Genes. XLIII, 14. Jer. XLII, 12. Jes. XLVII, 6. XLIX, 15.* In Deò autem vocabula ejusmodi affectuum liberanda prius sunt, ab omni imperfectione: amor quippe & commiseratio in Deò est citra passionem aut perturbationem ullam, quæ alias adhærere solet tali condolentiæ. vide is *Dn. Calov. t. 2. syst. LL. pag. 553. Misericordis hæc Dei est propensio voluntatis, quâ creature miseræ, & quidem seductæ, nihil obstante peccatò, vult opem ferre. Effectus ejus est duplex, tum peccati remissio, tum pœnæ ablatio vel mitigatio. Chrysostomum, in *hom. b. l.* dicentem (*millies peccasti, millies revertere*) reprehendit *Socrates l. 6. hist. eccl. c. 21.* quòd nimium laxaverit disciplinam ecclesiasticam; quâ in parte se à partibus Sifinnii Novatiani stare satis testatus est idem Socrates. Verum Chrysostomum h. m. locutum esse non de pœnitentiâ publica, sed privatâ, non cum profanis hominibus, sed cum desperabundis, ostendit *Senensis bibl. l. 5. c. 173.**

מַחֲלֵה dele: nimirum è librò rationum, ubi peccata mea instar grandium debitorum, pro quibus mihi luendum esset in æternum, sunt inscripta, *Cobel. II, 13. Dilher. paraph. dele è tabulâ cordis, cui inscripta peccata stylò ferreò Jerem. XVII, 1.* Vel dele, sceleris admissi maculam seu turpitudinem, personæ inhærentem, abominabilemque me tibi reddentem. Verbum enim **מַחֲלֵה** est tollere aliquam deformitatem abstergendo; quomodo de purgatione ollæ aut patinæ id reperitur *2. Reg. XXI, 13.* (quod ipsum simile ad totale orbis excidium ac deletionem adducitur: vel quomodo elui solent literæ è pergamenò vel à tabellâ *Num. V, 23.* (ubi de aquis amaris &c.) *Exod. xxxii, 32. 33.* de deletione è libro vitæ: sic de deletione vel extirpatione nominis sub cœlò. *Exod. XVII, 14. Psalm. IX, 6. Deut. xxix, 20.* item de abstersione lacrymarum, de *Jesa. xxv, 5.* de absumptione nubis per Solis æstum aut alterationem, *Jes. XLII, 25.* Facile hæc cuncta accommodantur ad materiam præsentem, quippe peccata delentur instar sordium, à patinâ deterfarum, quando persona vi sanguinis Christi ab omni